

cap. 57 Quod multi facti sunt imperatores a deo immediate.

Istius domini temporalis executionem deus primo contulit Ade, quando dixit libri Genesis capitulo primo¹⁾: 'Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volucris celi et universis animantibus, que moventur super terram.' Postea deus regnum Canaan contulit Habraee patriarche, ut habetur Genesis capitulo xii.²⁾, quando ei dixit: 'Tibi dabo terram hanc.' Item regnum terre Geraris contulit Ysaac patriarche, sicut habetur Genesis xxvi.³⁾, quando sibi dixit deus: 'Tibi et semini tuo dabo universas regiones istas.' Regi Sauli tradidit regnum Iudeorum et similiter regi David, sicut habetur in libro Regum in pluribus locis⁴⁾. Ex hoc apparet, quod vera est opinio dicentium, quod regna mundi vel imperia non sunt introducta nec de iure naturali nec de iure gentium nec ex institutione imperatorum sed sunt introducta de iure divino⁵⁾. Unde dicit apostolus⁶⁾: 'Omnis potestas a domino deo est.' Sed hoc potuit evenire quadrupliciter⁷⁾. Primo modo aut imperia sunt ex dei providentia ipso sic ordinante et cohoparante et ore suo exprimente, et sic^{a)} sunt dominia ex infusione divina ut in Adam Saule et David, qui omnes habuerunt ordinariam potestatem et plenariam auctoritatem. Alio modo sunt imperia a deo non ordinante nec cohoparante, sed dicuntur esse a deo sic permittente ex occultis causis hominibus ignotis atamen iustis^{b)}, ut dicit Augustinus in libro de civitate dei libro quinto⁸⁾. Et talia fuerunt imperia Nembroth Nini et similium, quorum regna, ut dicit idem Augustinus^{c)}, non fuerunt regna sed pura latrocinia⁹⁾; et ista non inducunt aliquod dominium. Tertio¹⁰⁾ modo introducta sunt imperia nullo predictorum modorum set evenerunt ex dei dono, ut scilicet in toto mundo non esset nisi unus dominus, quia hoc multum facit ad conservationem pacis, quod est summe necessarium hominibus in hac vita. Et sic introducta sunt^{d)} quatuor imperia in mundo scilicet Assiriorum Persarum Grecorum et Romanorum, de quibus plane habetur in prophetia Ezeielis capitulo primo¹¹⁾ sub figura quatuor animalium et in libro Danielis capitulo vii.¹²⁾ de quatuor bestiis¹⁰⁾. Imperium¹³⁾ Romanorum, licet in principio per violentias et latrocinia surrexerit ab ipso suo exordio temporibus Romuli, in processu tamen temporis propter bonum Romanorum regimen, quod ex comuni conducto gentium aquirebant et eo adepto ipso legitime et suaviter utebantur, factum est bonum et omnibus gentibus gratum. Atamen quia ydola adorabant et deum, a quo est omnis potestas, ignorabant, non fuit umquam nec iustum nec perfectum usque ad tempora Constantini¹³⁾. Quarto modo dicitur esse aliquid a deo, quando aliquod dominium sive imperium provenit non a deo immediate sed ab eius vicario, qui dei vices in terra gerit; unde Exod. capitulo xxii.¹⁴⁾ iudices multitudinis dii vocabantur. Talis¹⁵⁾ enim non dat imperium in quantum homo sed in

cap. 57 a) et sic] sicut W b) iniustis B c) Augustinus idem tr. B d) sunt introducta tr. W

1) Gn. 1, 28. 2) Gn. 12, 7. 3) Gn. 26, 3. 4) Vgl. 1. Rg. 8—10; 16.
5) Vgl. CM cap. 13 und 346. 6) Rm. 13, 1. 7) Vgl. CM cap. 368
(ed. Creytens S. 132 ad 13). 8) Vgl. De civitate dei 5, 21. 9) De
civitate dei 4, 4. 10) Tertio — bestiis vgl. Petrus de Palude, Tract.
de pot. papae 115, 6—15 und 237, 19—22. 11) Ez. 1, 5 ff. 12) Dn.
7, 3 ff. 13) Imperium — Constantini vgl. Alexander a S. Elpidio,
Tract. de eccl. pot. II 10, 3—4 S. 28 und Jakob von Viterbo, De reg.
christ. 2, 10 S. 304 f. 14) Ex. 22, 8. 9. 28; vgl. Thomas von Aquin,
De reg. pr. 1, 9 (ed. Mathis 21948) S. 12. 15) Vgl. GA cap. 110
mit Anm. 10.